



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

LIII. D. Modoaldvs. XXVII. Arch.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](#)

## SECULUM VII.

LI. S. SEVERINVS. II. XXV. ARCH.

**S.** Severinus II. longè notior nomine, quām re, licet ab Ecclesia publicos impetraverit honores, in Divorum fastos relatus, die 20. mensis Decembris cultoribus commendatus; ab ævi tamen sui Historicis per annos 18. Sedis suæ encomiorum ferè nihil impetravit an. 618. mortuus.

LII. SEBAVDVS. XXVI. ARCH.

**S**ebaudus ab aliis Sabaudus dictus, virtutis famâ, quām Historiæ memoriâ clarior, diem vitæ ultimum numeravit an. 626. 26. Novembris, quem eidem sacraziorem fecerunt posteri, eiusdem virtutibus, & fortè miraculis excitati.

LIII. D. MODOALDV. XXVII. ARCH.

**D.** Modoaldus in aula Dagoberti I. Austrasie Regis cum Cuniberto Colonensium & S. Arnulpho Metensium Episcopis aliisque juvenibus, & demum viris virtutibus illustrissimis educatus. Modaldus porro cùm & natalium splendore, utpote Pipini I. Majoris Domus ob Itam sororem duam conjugem affinis, & ipse ex Regio sanguine prognatus, similiusque doctrinâ & industriâ excelleret, Dagoberti Regis filias Irminam & Adhelam ad omnem pietatem egregiè formavit; quin & Regis ex dissoluta vita ad emendationem traducti liberalitate, ad Religionis incrementum usus est strenuè, variis templis & monasteriis erectis: regia namque horrea Trevirensium in urbe olim extorta in Virginum sacrarum asceterium convertit, cui Irminam dedit Moderatricem. Alterum asceterium Palatioli, quod Majores Domus incolebant, excitavit, cui Adhelam prima jam ætate

ma-

marito viduatam præfecit. Parthenonem denique tertium in ripa Mosellæ extruxit, D. Symphoriano Martyri sacrum, cui Severam sororem suam dedit Magistram, Regulâ D. Benedicti omnibus præscriptâ. In horum postremo Modoaldus post vitam sanctissimè exactam sepultus, inde verò in Saxoniam religionis ergo translatus est. Ornavit suâ præsentia Ecclesiam Trevirensem an. 30. mortuus an. 656.

#### LIV. D. NVMERIANVS. XXVIII. ARCH.

**D.** Numerianus curâ Archiepiscopali Treviris suscepta inclaruit. Quamvis itaque vita sanctioris præclaram memoriam ferat etiam hodie, scriptorum tamen vel negligentia, vel interitu præter monumenti epigraphen, qua anno 670. die Julii 5. morti succubuisse dicitur, de eodem nihil posteris relictum est.

#### LV. D. BASINV. XXIX. ARCH.

**D.** Basinus illustri sanguine & virtutibus celebris, ex D. Maximini cœnobio Abbas evocatus, Metropolitanam Trevirorum adiit. Religionis propagandæ curam in se suscepit singularem; quare D. Willibrordum ex majori Britannia cum duodecim sociis egressum, perquam benevolè exceptit, & beneficiis sibi devincire studuit, ut Germanis in Germania, unde Anglorum majores venerant, salutem etiam communicaret, promulganda Evangelii lege & luce. Ad annum 697. usque vitam produxit Basinus, eis summam vitae integritatem & Sanctimoniae laudem Divi nomine ac honore insignitus. Corpus eiusdem pignoris sacri loco in D. Maximini Basilica fuit repositum, ut quem locum inter vivos signatum impressumque Sanctitatis suæ vestigiis reliquerat, illum ne mortuus quidem desereret. Sed. an. 27.

SE-